

non est extendendum. Descendentibus tamen per masculos etiam vltiorum graduum, e. g. neptibus <sup>14)</sup> ex filiis praemortuis, <sup>15)</sup> ex communiore lctorum domesticorum doctrina idem tribuitur. In concursu igitur plurimum filiarum nobilium superius dicta erunt attendenda. Scilicet, si solae descendentes primi gradus h. e. filiae adsunt, hae in capita; si primi gradus cum secundi gradus concurrunt, h. e. filiae cum neptibus ex filio, illae in capita, hae in stirpes; Si solae vltiorum graduum adsint, e. gr. neptes ex filiis, hae in stirpes succedunt. <sup>16)</sup>

[p. 334]

## CAPVT XVI.

DE

## SVCCESIONE ASCENDENTIVM ET COLLATERALIVM.

## DISTINCTIO I

*Inter successionem ascendentium ordinariam et extraordinariam.*

**I**nsignis hic inter successionem allodiale & feudalem notanda est differentia. Ascendentes

<sup>14)</sup> Ad neptes regulariter non transit. Confer. ad Dist. 4. hui. cap. not. BAL.

<sup>15)</sup> Minus recte. Lex nostra restringit hoc ius ad solas filias nec video solidam differentiam inter neptes ex filiabus et ex filiis, quia filius nondum Vasallus existit, hinc nec iura vasalli ex isto priuilegio singulari ad filias transmittere potuit. BAL.

<sup>16)</sup> Confer Petr. TORNOVIVM de feudis Megapolit. Part. I. pag. 216.; Gener. de LAVTZOW in diss. de virg. nobili Mecklenb. cap. II. §. 14. num. 57 seqq.; Ge. ENGELCRECHTVM in diss. de singularibus feudorum Mecklenb. iuribus, Sect. 2. §. 23.; Ern. Io. Frid. MANTZELIVM in disser. de filia nobili usufructuaria Mecklenb. pos. 10. MOEL.